

debet cōmunicari omnibus hominibus, tam infantibus, quā adultis, ad quos fœdus Dei & receptio in ecclesiam pertinet. At Baptismus est tale Sacramentum. E. Hæc apodixis furori Anabapstico opponi potest. Vide *Zachar. Ursinū*, *Logicum absolutissimum, tract. theol. tom. i.* Sequēs demonstratio opponatur Pontificiis Bibliosacrifugis: Quidquid legi debet in publico Ecclesiæ cœtu ad ædificationem omnium in fide & vitâ, id est linguâ omnibus cognitâ legendum. Atqui S. Scriptura legi debet in publico Ecclesiæ cœtu ad ædificationem omnium in fide & vitâ. Ergò. Hæc demonstratio opponatur Copernico: Quidquid debet producere fruges, & animalia sustinere, id debet esse immotum. At terra debet hoc præstare. Ergò terra debet esse immota.

Demonstratio τὸ ὄν est, quæ pro medio termino habet effectum vel destinatum, ut ex eo demonstraretur efficiens aut finis, vel etiam causam remotam.

Estque duplex, perfectior, vel imperfectior.

Perfectior est, quæ demonstrat causam per effectum proximum:

Quod fit, cum medium est effectus, causa autem est prædicatum conclusionis.

Ejus canon est:

*Posito effecto proprio & immediato, ponitur causa efficiens, & sublato, tollitur.*

Valet igitur demonstratio hæc affirmativè & negativè, ut etiam illa a priori. Exempli gratiâ. Quodcunque moritur, illius calor naturalis extinguitur. Vegetantia moriuntur. Ergò vegetantium calor naturalis extinguitur. Item: Quicumque manducat carnem Christi, is Christum in se manentem habet. Infideles Christum in se manentem non habent. Ergò infideles carnem Christi non manducant. Sic quoque destinato posito ponitur finis, & sublato tollitur: ut, Credit in Filium Dei. Ergò salvabitur. Habet bonum ingenium, & studet diligenter. Ergò evadet doctus. Non diligenter studet. E. nec evadet doctus.

Demon-